



CONCLUSIONES

EX TOTA PHI-
LOSOPHIA.

IN CATHOLICA ET CELEBERRIMA
INGOLSTADIENSIVM VNIVERSITATE,

A

DVOBVS E SOCIETATE JESV
AD PVBLICAM DISPVATIONEM
PROPOSITÆ.

III. Julij Annopost Virginis partum
M. DC. XVIII.



Ingolstadtj, Ex Typographeo Gregorij Henlin.

BEATISSIMAE VIRGINI

MARIAE DD.

EX LOGICA.

THESIS PRIMA.



Mogita est scientia practica, late sumendo scientiam, cuius obiectum communiter sunt operatio- nes mentis recte rectitudine Logica, quae est modus realis ipsis superadditus: Attributionis vero est modus differendi, qui triplex, Diuisio, Definitio & Argumentatio. Logica docens est Philoso- phiae pars, & ad scientias totales acquirendas simpliciter moraliter necessaria. Logica utens sunt potissimum alia scientia.

2. Materiale uniuersalis est natura communis, formale unitas formalis praecisa, cu aptitudine inessendi plu- ribus cum multiplicatione, & de iisdem praedicandi. Unitas & aptitudo uniuersalis a parte rei incompleta, complentur ab intellectu possibili per noticiam abstractiuam & totalem in substantiis. Uniuersale etiam for- maliter ad suas quinque species est genus analogum.

3. Analoga alia sunt attributionis, alia proportionalitatis tam propria, quam impropria. Quod per se ponitur in aliquo praedicamento debet esse ens reale, unum per se, uniuocum, finitum, completum, & incomplexum. In praedicamento substantia ponuntur res concretis nominibus significatae, in praedicamentis vero accidentium solum abstractis. Omnia praedicamenta realiter inter se differunt.

4. Categoriā substantia constituit ens per se existens, finitum, completum; quantitatis vero ens per se exten- sum, continuum & permanens. Relatio praedicamentalis est modus realis, fundamentum referens ad pure terminū, actu existentem, ut quid absolutū, ad cuius multiplicationem & ipsa multiplicatur. Situs est modus rei intrinsecus, ex certa partium dispositione ortus, Habitus in homine ex adiacentia potissimum vestimenti.

5. Enunciatio est actus intellectus simplex, expresse representans coniunctionem extremorum, praesupposita eorum apprehensione, cuius subiecta species sunt affirmatiua & negatiua; proprietates vero significare verum vel falsum. Enunciatio semel vera falsa fieri nequit. Insolubiles sunt simpliciter falsa. Ex contradictoriis de futuro contingente una est determinate vera, altera determinate falsa. Verbum, Est, in enunciatione de tertio adiacente est proprie verbum.

6. Consequentia minimum duas requirit cognitiones. In consequentia necessaria cogitur intellectus ex cogito antecedente, ad necessario assentiendum consequenti, saltem quoad specificationem. Argumentationis species sunt syllogismus, enthymema, inductio, exemplum. Syllogismus ex aperte falsis non conuenit proprie definitio syllogismi. Dantur indirecti etiam in secunda & tertia figura. Quaedam inductiones sunt simul etiam conse- quentia formales.

7. Demonstratio est syllogismus pariens scientiam; diuiditur in demonstrationem Quia, & propter quid, in qua praemissa debent esse immediata, de omni, per se, quatenus ipsum, & continere causam in essendo mini- mum virtualem. Medium demonstrationis potissima est definitio subiecti, ut est passionis causa.

8. Scientia duplex est, actualis & habitualis, quae est habitus certus & evidens rei necessariae per causam; qui si totalis sit, non est simplex qualitas. utraque specificatur ab obiecto uno sub certa ratione formali sub qua. Considerantur obiecta a scientiis in suppositione absoluta. De eodem obiecto complexo, in eodem homine non posse esse simul actualem scientiam & opinionem etiam per diuersa media probabilius videtur. Non da-

tur scientia de non ente, de ente per accidens, neque de ente rationis, quod ad nullam scientiam est cognitu ne- cessarium, & sine scelere potest praetermitti in Philosophia.

9. Habitus proprie sunt in potentia rationali, generantur per actus, destruantur per contrarios, intenduntur etiam aequè vel minus intensis actibus. In intellectu quinque assignantur virtutes, quibus semper verum di- citur, Sapientia, Prudentia, Scientia, Ars, & Intellectus respectu principiorum non simpliciter primorum. nomi- ne scientia hic tantum intelliguntur speculatiua.

EX PHYSICA.

10. Physica est scientia speculatiua corporis naturalis, quae tale est, cuius principia in fieri sunt tantum tria, materia, forma, & priuatio, suntque contraria prima. Materia prima est potentia subiectiua, habet essentiam & existentiam actualem per se, posset existere diuinitus sine omni forma, etiam sine peculiari Dei concursu, est ingenerabilis & incorruptibilis, in omnibus corporibus sublunariis eiusdem speciei. potentia uniuersalis est essentialis materiae, non item particularis.

11. Forma substantialis est actus formalis substantialis unum per se constituens cum materia, non est tota quidditas compositi physici. Omnes formae tam substantiales, quam accidentales materiales educuntur ex po- tentia materiae, non item anima rationalis. Forma Calorum & elementorum in prima sui productione non sunt concreata materiae. Priuatio principiat recedendo; alia est proxima, alia remota, quae sufficit ad transmuta- tionis essentiam. Natura est principium motus & quietis &c. vel passiuum ut materia, vel actiuum ut for- ma quale est anima rationalis & forma calorum etiam respectu circularis motus.

12. Causa in communi est principium per se influens esse in effectum, diuiditur adaequatè in materialem, for- malem, efficientem, & finalem; sed nec immediatè, nec uniuocè. Causalitas causa materialis est passio, for- malis unio, utraque tam in fieri quam in facto esse. Unio est materialis modus & ab extrinseco agente produ- ctus, qui soli materiae inhaeret: Supernaturaliter plures formae substantiales totales, & aliqua accidentales oppositae possunt esse simul in eadem materia. Deus in nullo genere causa potest supplere concursum materiae quoad inesse formae. Totum compositum distinguitur a suis partibus una cum unione sumptis sola ratione.

13. Causalitas efficientis est actio, quae nihil est intrinsecum agenti ad extra. Sola accidentia inter causas se- cundas immediatè substantiam producunt tanquam instrumenta, potissimum ea quae sunt in passio. Eleuatio instrumenti consistit in coniunctione quadam certa cum causa principali. Causa prima agit immediatè ad ex- tra creando, conseruando, & cooperando cum causis secundis, qui concursus est eadem numero actio cum a- ctione causa secunda, nec in omnibus eiusdem speciei.

14. Quantitas, cuius tres sunt species linea, superficies, corpus, consistit in aptitudinali extensione, realiter stri- ctè a substantia distincta, & est coeua materiae prima, ingenerabilis & incorruptibilis secundum trinan- te dimensionem. Continuum componitur ex partibus actu inexistentibus, quae copulantur & terminantur in- diuisibilibus tam inter se, quam a subiecto modaliter tantum distinctis. Infinitum actu nec in magnitudine nec multitudine per absolutam Dei potentiam dari posse probabilius est, quamuis oppositum sit etiam aliqui- bus probabile.

15. Motus est essentialiter continua & successiua forma acquisitio; tarditas & velocitas sunt modi ipsi su- peradditi. Differt modus realiter a mobili, & a termino ad quem, qui tribuit illi unitatem. Datur motus per se ad tria tantum praedicamenta secundum Aristotelem, augmentatio ad quantitatem, alteratio ad qualitatem, motus localis ad ubi.

16. Locus est superficies corporis continentis prima & immobilis, ea immobilitate, quae opponitur mobilitati uasis. Vbi seu praesentia rei in loco, est modus essentialiter respiciens certum spacium imaginarium. Super-

liter plura corpora possunt esse in eodem loco, & idem in diuersis adaequatis tam circumscriptiue, quam definitiue. In vacuo quod de facto in vniuerso nullum est, & per solam diuinam potentiam dari potest, posset corpus nulli alteri contiguum moueri, non tamen in instanti.

27. Tempus est numerus motus secundum prius & posterius; intelligitur nomine temporis duratio motus principue primi mobilis. Duratio in creatis, est continuatio existentia in tempore. Entia successiva intrinsecè à duratione propria mensurantur. Aeternum est duratio substantia creatæ incorruptibilis.

28. Mundus, qui de facto tantum vnus, essentialiter perfectus, partim creatus partim generatus est; ab aeterno nec productus, nec produci potuit, tam quoad res permanentes, quam successiuas; & nisi duratio permanentium esset successiva, potuissent res permanentes ab aeterno produci. Caelum est corpus solidum, incorruptibile etiam ratione materiae, à sublunari specie diuersa. Caelorum numerus & ordo incertus est, singulis tamen globis videntur singula intelligentia assignata, à quibus dirigantur. Caelum & astra agunt in sublunaria tum luce, tum influentiis; non tamen directè in voluntatem & intellectum hominis; potest etiam ut causa principalis producere animalia imperfectiora, quæ sunt eiusdem speciei cum iis, quæ ex semine generantur; nisi quosdam effectus malis. in diuiduo vago adscribere.

29. Elementa in suis locis propriis grauitant & leuitant: grauitas differt à leuitate specie. Probabile est leuitatem igneam ab aërea, & grauitatem aqueam à terrea non differre specie, quamuis & oppositum nõ careat sua probabilitate. Ignis est summè leuis, terra summè grauis, aqua admixtum habet aliquid leuitatis, & aër aliquid grauitatis. Causa leuitatis est calor, grauitatis frigus. Proiecta mouentur à qualitate ipsis impressa, quæ impulsus dicitur, differt specie à grauitate & leuitate primaria; producitur à prouiciente, mediante alia qualitate motiua, productione instantanea, per se loquendo. Motus reflexus proiectorum fit ab obstaculo. Mobile in puncto reflexionis quiescere potest priuatiue, aliquando solum negatiue.

20. Generatio substantialis formaliter consistit in vnitione forma cum materia; est actio vera per se instantanea, & ab alteratione præuia distincta, incipit & desinit intrinsecè, sicut indiuisibilia rerum successiuarum, & alia per vnum tantum instans existentia. Tempus, motus & alia entia successiva absolute sumpta incipiunt & desinunt extrinsecè. Substantia quæ simul ac indiuisibiliter producuntur, aut corrumpuntur, incipiunt & desinunt intrinsecè, nisi alia forma succedat, quamuis etiam extrinsecè incipere & desinere possint.

21. Corruptio est destructio vnionis forma ad materiam. Tantum in generatione simplici, generatio vnus est corruptio alterius. Annihilatio est actio negatiua consistens in subtractione concursus diuini adhuc illi rei debiti quantum est ex natura sua, vel causis secundis. Non fit resolutio vsq; ad materiam primam in corruptiore substantiali quoad formas omnes accidentales & substantiales, sed etiam remanere possunt forma partiales, videnti tantum accidentales.

22. Alteratio non est essentialiter successiva, nisi prout est motus, & solum ratione intensioris, quæ est mutatio, per quam eadem qualitas in eadem parte subiecti ex minore fit maior additione gradus ad gradum præ-existentem eiusdem speciei, & indiuidualis perfectionis, qui vniuntur in diuisibili intensiuo. Remissio contrario modo se habet. Raritas & densitas sunt qualitates modales, quarum hæc condensatione à frigore, illa rarefactione à calore producitur, consequente ad eas maiore vel minore extensione actuali sine vllius substantia & quantitatis productione vel deperditione.

23. Actio à passione & motu realiter distincta, requirit distinctionem agentis à passio, proinde nihil potest agere in seipsum totaliter se producendo, etsi idem possit agere in seipsum actione æquiuoca perfectiua, destructiua solum indirectè. Nullum agens potest agere in distans, cum requiratur contactus agentis ad passum, saltem mediatus. Simile non potest agere in simile secundum qualitatem & intensiorem, etsi vnum sit altero maius vel densius. Antiperistasis est roboratio qualitatis ob circumstans contrarium. Actio reflexa fit à corpore reflexe

xiuo. Datur vera reactio inter agens & patiens. Agens non in solam agit passu superficiem, sed etiam in profunditatem, eamq; sibi assimilare potest. Etsi res semel corrupta vel annihilata à causa secunda reproduci nequeat, à Deo tamen potest, licet non omnis.

24. Elementum est corpus simplex, ex quo primo componitur mixtum. Quodlibet immediatè in quodlibet conuerti potest, facilius tamen in symbolum mediantibus quatuor primis qualitatibus tangibilibus, quæ omnes sunt actiua per se, in ordine tamen ad mixturem humiditas & siccitas potius passiua. Ignis est summè calidus & siccus, terra summè frigida & sicca, aër summè humidus & remissè calidus, aqua est summè humida & remissè frigida. Omnia elementa habent suas qualitates à seipsis, non à celo, & media habent remissas cum admixtione contrarij.

25. Mixtum est corpus diuisibile in plura corpora specie diuersa, scilicet elementa. Mixtio est miscibilium alteratorum vnio; ei putrefactio opponitur. miscibilia debent esse substantia, proportionata, diuisibilia, & eiusdem materia. Temperamentum non est simplex qualitas. Potest dari mixtum habens æquale temperamentum ad pondus, & æquales omnino qualitates motrices contrarias in omnibus partibus collectiue sumptis.

26. Meteororum materia remota est terra & aqua; propinqua vapor & exhalatio. Causa efficiens Sol, Caelum, ignis, astra. Fulgur est subitus splendor exhalationis accensa vel nubem rumpentis, vel solum per latera nubis tenuiora translucens. Fulmen est exhalatio ignita copiosa maximo impetu è nube propulsa. Ventus est exhalatio terrea sursum eleuata, frigidi aëris in media regione simul & nubium repulsi in transuersum acta; ita ut obliquo suo descensu deinde etiam aërem commoueat. Iris est arcus discolor in nube rorida & opaca, in quam radij solares ex opposito incidentes ad angulum semirectum vndiq; ad inspectoris oculum refringuntur, aut reflectuntur. Aëstus maris fit à luna; terræ motus à magna exhalationum copia cauernis terræ inclusa & egredi nitente. Non omnia flumina oriuntur ex mari.

27. Anima est actus corporis organici potentia vitam habentis. Tria genera sunt animarum, quatuor animarum. Sola anima rationalis est spiritalis & indiuisibilis; plantarum verò & brutorum tam perfectiorum, quam imperfectiorum sunt diuisibiles, constantes partibus homogeneis. Anima rationalis continens vegetatiuam & sensitiuam formaliter & eminenter est tota in toto corpore, & tota in qualibet illius parte. In vno viuente est tantum vna anima.

28. Potentiarum anima sunt quinque genera; Vegetatiuum, Sensitiuum, Appetitiuum, Locomotiuum, & Intellectiuum. Distinguntur ab anima realiter; materiales recipiuntur in solo corpore, aliqua quidem in omnibus eius partibus, alia in aliqua aut aliquibus certis; immateriales in sola anima. Procedunt potentia ab anima solè effectiue per distinctam actionem ab ea, quæ ipsum compositum vel anima producitur. Specificantur proximè ab actibus, remotè ab obiectis cum certo tendendi modo. Deus se solo potest producere terminum actus vitalis, non autem vitalem actionem.

29. Anima Vegetatiua tres sunt potentia principales realiter inter se distincta; nutritiua, augmentatiua, & generatiua. Nutritiua est potentia à calore & temperamento diuersa, transmutans alimentum in substantiam aliti; est diuersa speciei in diuersis specie viuentibus; eius quatuor sunt potentia famulantes, attractiua, retentiua, concoctiua, & expulsiua. In animalibus sanguineis additur potentia vitalis, quæ spiritus vitales à sanguine essentialiter distinctos coquit, pulsum in corde & arteriis, respirationem verò in pulmonibus efficit. Calor vitalis inadæquatè sumptus non differt ab elementari. Fames & sitis materialiter sunt tristis sensatio in stomacho vel gutture, formaliter appetitus elicitus cibi & potus.

30. Augmentatio est essentialiter productio successiva maioris extensionis actualis partium viuentis secundum Aristotelem; secundum alios consistit in vnitione quantitatis alimenti ad quantitatem aliti. Generatio viuentis est ipsius processio à principio vitæ coniuncto secundum similitudinem naturæ specificæ. Fatuus huma-

mus probabiliter non uiuit prius anima vegetatiua & sensitiua quam rationali. quamuis & contrarium sit probabile. Præter alias uiuentis partes uiuunt etiam pili, dentes, ungues, penna, cornua, squamæ, rostra, cutis, cerebrum, &c. non itidem quatuor humores, & alia parum ab ipsis differentia, ut lac, semen, medulla, &c.

37. Sensus sunt passiuæ simul & actiuæ potentia; præ requiruntur ad earum operationes species impressæ ab obiectis productæ, quorū sunt imagines virtuales & formales non vitales, nec ita simpliciter ab iis in conseruari dependentes, quin possint per minimam morulam permanere: sunt diuisibiles ratione extensionis & intensiōis tam subiectiuæ, quam obiectiuæ. possunt diuinitus ad sensationem obiecti tum absentis, tum non existentis concurrere.

32. Sensibile per se aliud est proprium, aliud commune Communia sunt quinque, magnitudo, figura, numerus, motus, quies: percipiuntur per species proprii sensibilis modificatas. Tam circa sensibile commune, quam proprium sensus errare possunt. Sensibile supra sensum positum non facit sensationem; quod si nimis uehemens sit, corrumpit sensum.

33. Visus obiectum adequatum proprium est lux & color, qui proximè oritur ex perspicuo, opaco, & lucido. Colores medij nõ sunt extremis actu inexistentibus. Perspicuitas & opacitas non sunt qualitates, sed ipsa subiecti potentia passiuæ cum certis connotatis recipiendi vel excludendi lumen aut species in profundum. Requiritur lumen ad uisionem ex parte obiecti, medij ac organi, & est qualitas materialis lucisq; species. Species terminatæ uidentur ut quod. Visio fit per receptionem specierum in tunica retina.

34. Auditus obiectum est sonus, qualitas nec prima nec secunda, aliquo modo permanens, producta ex concursu percutientis, percussi & medij, quod est aer, non tamen solus. Recipitur sonus etiam in corporibus collis. Echo est sonus reflexus. Auditio fit in myringa. Olfactus in carunculis mammillaribus, cuius obiectum odor est, qualitas resultans in mixtis ex primarum commixtione prædominante siccitate.

35. Gustus obiectum est sapor, qualitas itidem orta ex primis prædominante humido. organum huius sensus sunt nerui gustatorij per linguam & palatum ex cerebro diffusi. Sensorium tactus propriè sunt nerui sensorij & membrana ex neruorum substantia producta, caro tantum est medium internum, obiectum tactus sunt primæ qualitates, & aliqua secunda, quas sine mutatione reali per se loquendo percipit, & solum in gradu organum exuperante, unà cum inferioribus.

36. Sensus internus secundum rem unus, ratione actuum variè denominatur; sensus communis quatenus obiecta præsentia cognoscit actu sensata ab externo sensu: phantasia prout cognoscit sensibilia secundum se abstrahendo à certa temporis differentia: estimatiua quatenus obiectum cognoscit ut conueniens vel disconueniens. Quatenus deniq; fertur in obiectum ut prius sensatum simplici recordatione, memoria appellatur, si uero occasionali, remissentia.

37. Species sensus internus etiam habet duplices, expressas & impressas à sensatione externa productas. Percipit sensationem & obiectum sensus externi per eandem speciem modificatam. Somnus est ligatio sensuum, salutaris animali ad spirituum animalium reparationem. Vigilia est eorum solutio. Potentia locomotiuæ est facultas in musculis sita qua animal dirigente phantasia vel intellectu, & impellente appetitu, non tamen physice influente, ad obtinenda salutaria & fugienda noxia motum progressiuum exequitur.

38. Appetitus sensitiuus animali necessarius, est potentia organica in corde residens, inclinans in bonum sensu cognitum & malum fugiens. Appetitus irascibilis à concupiscibili sola ratione distincti quinque sunt actus; sex concupiscibilis qui passiones uocantur. Dolor formaliter est actus fugæ appetitus sensitiui, præsupponens inconuenientis obiecti sensationem, quæ causatur intemperie primarum qualitatum vel solutione continui.

39. Anima rationalis est immortalis, & in omnibus equalis perfectionis individualis; habet potentias tres uere diuersas, intellectum qui identificatur cum memoria rationali, uoluntatem & potentiam locomotiue

inorganicam. Intellectus agens producit species intelligibiles impressas, quas possibilis in se recipit, & per eas intellectionem elicit; differt hic ab agente realiter; sunt autem species intelligibiles impressæ spirituales qualitates repretatiuæ obiectorum intellectui, tanquam signa formalia, vel etiam virtualia. Expressæ producuntur per ipsam intellectionem à possibili tanquam uera actionis termini.

40. Intellectus obiectum motiuum est, quod per propriam speciem mouet intellectum, quale in hac uita solius est ens sensibile: obiectum adequatum terminatum etiam in hac uita est omne ens communissimè acceptum, tam posituum, quam negatiuum, &c. uerum respectu assensus, & respectu dissensus falsum. per eandem speciem rei singularis cognoscit rem singularem & uniuersalem; substantias uero in hac uita tam materiales, quam immateriales & non entia per alienam speciem, conceptu quodam quasi remotiuo & virtualiter complexo.

41. Appetitus rationalis, intellectu ignobilius, habet pro obiecto omne ens latissimè sumptum, quod ab intellectu tanquam conueniens vel disconueniens iudicari potest, formale est bonum respectu prosecutionis, malum respectu fugæ. Non potest uoluntas ferri in malum, quæ malum; pendet in operando simpliciter à cognitione intellectus, à qua moraliter mouetur, priorq; est actus intellectus, quam uoluntatis. Datur in homine liberum arbitrium, in re à uoluntate non distinctum, ad quod requiritur libertas à necessitate & coactione.

EX METAPHYSICA.

42. Metaphysica est scientia speculatiua, & propriè dicta sapientia, cuius obiectum adequatum totale attributionis est ens reale per se, quatenus tale, abstrahens ab omni materia re & ratione; partiale uero & principale Deus, qui necessario tantum unus, simpliciter perfectissimus, infinitus, simplicissimus, immensus, immutabilis, æternus. Substantia uiuens intellectualis, libera, felicissima, omnipotens.

43. Intelligentias dari naturali etiam ratione cognoscimus, quæ sunt substantia creatæ completæ intellectuales & incorporæ, nec ita simplices quin compositionem metaphysicam admittant. Sunt in loco determinato quoad magnitudinem, licet non quoad paruitatem, mouere se & alia possunt localiter, ut & anima separata, in quibus manent potentia inorganica, species intelligibiles atq; habitus tam intellectus quam uoluntatis.

44. Ens est id, quod habet essentiam realem aptam existere, siue actu existat, siue non, eius conceptus non est uniuocus, nec penitus abstractus à conceptu entium particularium. Ens nominaliter sumptum de omnibus rebus ueris tam existentibus quam actu non existentibus, possibilibus tamen, essentialiter prædicatur. Existentia, quæ est actualitas rei, per quam actu in rebus constituitur ab essentia in creaturis differt ex natura rei: soli Deo essentialis.

45. Subsistentia in creatis est positiuus modus, ab inhaerentia distinctus, per quem ita completur & ultimò terminatur natura, ut per se existens reddatur, & ab alio non dependeat, tanquam à sustentante: producitur ab agente extrinseco, sicut & existentia. dantur subsistentia & existentia in compositis partiales. Suppositum definitur, substantia, completa indiuidua, incommunicabilis. Res ab intrinseco sunt posibles per non repugnantiæ ad existendum.

46. Principium indiuiduationis, siue singularitas est metaphysicus gradus, quo determinatur essentia ad hoc uel illud indiuiduum, redditurq; incommunicabilis pluribus inferioribus. In composito alia partialis hæccitas respondet materiæ, alia formæ; Ex utrisq; tamen una totalis conflatur. In Deo sola ratione differt ab essentia; in creatis ex natura rei.

47. Tres sunt potissimum entis passiones. Verum, Verum, Bonum; quæ à parte rei nihil posituum distinctum superaddunt enti, sed negationem. Unitas generatim est negatio diuisionis: Tot autem sunt unitates, quot sunt opposita diuisionum genera, quare diuisioni reali essentiali opponitur unitas formalis seu essentialis etiam realis.

48. Veritas alia dicitur transcendentalis, & in essendo, & est passio entis, alia moralis siue in dicendo, alia formalis siue in cognoscendo. Transcendentalis præter aptitudinem fundamentalem, per quam aptum est ens ab intellectu, maxime diuino verè concipi, vt tale est, dicit etiam negationem, quod non habeat solam apparentiam.

49. Bonitas transcendentalis est ipsa perfectio & integritas essentialis rei, cui nihil desit in genere entis, prout a nobis tanquam aliquid ratione posterius ente concipi potest.

50. Bonum transcendens vel abstrahit à determinata ratione bonitatis, vel est bonum honestum, non moraliter pro eo, quod ratio decorum iudicat, sed naturaliter, pro eo, quod propter se est appetibile. Inter omnia bona Deus summè bonus est, & summè amandus.

Ad maiorem Dei, Deiparæque Virginis gloriam.



Præsentés ex vniuersa Philosophiâ depromptæ Conclusiones, cum Fidei bonisq; moribus per omnia consonent, luce ac discussione publica dignæ sunt.

LEO MENZELIUS S. Theol. D. Professor. & pro tempore Decanus.



Hæ flores sententiarum Philosophicarum meritò ex umbra in lucem prodeunt.

OSVVALDUS COSCANUS Societatis JESU, Philosophiæ Professor, & pro tempore Decanus.